

typo olim videtur apographum cum emendationibus nonnullis veteris scripturae factum esse, ex quo cum deinde tamquam ex communi fonte et Parisinus et Mediceus derivarentur, ea quae in illo scripta erant ad utrumque librum propagata sunt; in Mediceo autem codice neglegentissime scripto et plurimis gravissimisque interpolationibus depravato multa corrupta, quaedam tamen recte emendata sunt, quae adscripta *m* littera indicavi.“

His Keilii verbis, quae ut olim ita nunc ante oculos habui, paucissima quae addam exstare moneo. Etenim cum vere anni 1928 ad novam editionem praeparandam accessissem, ipsius rei ratio me impulit, ex Henrico Omont, bibliothecae nationalis Parisinae manuscriptorum conservatore humanissimo, quaerere, nonne fieri posset, ut Merulae editio princeps adnotationibus Angeli Politiani excellens Ienam mitteretur. Qui cum mihi comiter ut solet respondisset, custodem librorum impressorum, in cuius tutela illa editio princeps est, ne publico quidem legato intercedente ausurum esse tale *κειμήλιον* periculis itineris committere, simul autem mihi photographum peridoneum Parisinum, Ludovicum Lécuyer, commendasset, qui paginas 89 lucis ope diligenter imitaretur, suasori benevolo lubenti animo obtemperavi. Sed cum interdum difficile esset in photographate alterum adnotationum genus ex codice *m* rubro colore adlatarum ab eis distinguere, quae in editione vetusta atramento scriptae erant, dubitationes meas si quae emergebant idem Henricus Omont egregie removit. Ex hoc autem labore mox intellexi, Keilii fidem semper indubitatum novo nunc exemplo confirmari. Nam perpauca sunt quae addenda esse inveneram. Velut p. 9, 8 *Creobolus* fuit in editione Merulae, ubi *Cr* delevit et pro *o* prioris *u* correxit Politianus; voluit igitur *Eubolus*, non *Eubulus*. — P. 28, 33 *fieri* habet *V* (ex 28, 25), non Politianus. — P. 64, 14 *coacescunt* est in *v*, ubi *coacescant* (non *cocescant*) Politianus dat (cum Victorio). Alia eius generis errata cum minoris momenti esse viderentur tacitus correxi.

III. Haec de codicibus, qui ut Keilio ita mihi pro funda-